

# Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 94

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si monasteria divino constructa servicio nostris bonis ab omnium bonorum datore deo benignius acceptis augere desideramus, pro transitoriis aeterna recipere non desperamus. Quapropter Christi fidelium nostrique noverit universitas praesentium videlicet ac futurorum, qualiter nos ob remedium animae patris nostri Chvonradi imperatoris et dilectae matris nostrae Gisilae imperatricis, tum ob regni nostri et vitae stabilitatem sanctae Herveldensi aecclesiae in honorem beatorum apostolorum Simonis et Tatheï et ob spem patrociniï Lulli et Wicberti electorum dei X mansos in villa Niuedecaviz et in pago Ginnaha et in comitaitu Ecchehardi marchionis tradidimus cum omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis areis aedificiis terris cultis et incultis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus molis molendinis piscationibus silvis venationibus exitibus et reditibus viis et inviis quaesitis et inquirendis, cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut praefatae aecclesiae abbas sui que successores de praedicto praedio liberam dehinc potestatem habeant obtinendi commutandi precariandi tradendi vel quicquid illis placuerit ad usum aecclesiae inde faciendi. Et ut haec regiae nostrae traditionis auctoritas stabilis et inconvulsa omni aevo permaneat, hanc paginam inde conscribi manuque propria, ut infra videtur, corroborantes sigilli nostri iussimus impressione signiri. Signum domni Heinrici tercii regis invictissimi. Dietericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovi. Data VIII. kal. Septemb. anno dominicae incarnationis MXLIII, indictione XII, anno autem domni Heinrici tercii ordinationis eius XVII, regni vero VI; actum Merseburc; in dei nomine feliciter amen.